**Zeitschrift:** Museum Helveticum : schweizerische Zeitschrift für klassische Altertumswissenschaft = Revue suisse pour l'étude de l'antiquité classique = Rivista svizzera di filologia classica

**Herausgeber:** Schweizerische Vereinigung für Altertumswissenschaft

**Band:** 67 (2010)

**Heft:** 1

**Artikel:** Quomodo Horatius structuram carminis noni Odarum libri tertii effecerit, explicatur

**Autor:** Lieberg, Godo

**DOI:** https://doi.org/10.5169/seals-109703

**Nutzungsbedingungen**

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Mehr erfahren

**Conditions d'utilisation**

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. En savoir plus

**Terms of use**

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. Find out more

**Download PDF:** 17.01.2026

**ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, https://www.e-periodica.ch**

# Quomodo Horatius structuram *carminis noni Odarum libri tertii* effecerit, explicatur.

*Godo Lieberg, Urbs Bochumensis*

*Summarium:* Structura carminis posita est in ordine temporis et in congruentia rerum, quae anaphora augeri potest. Ita strophae spectant primum ad tempus actum, deinde ad praesens, postremo ad futurum. In prima parte anaphora ordine parallelo iteratur. Tum diversitas formae succedit. Progrediente carmine anaphorae munus id in partes redigendi decrescit. Anaphoris usa Lydia vi dicendi Horatio praestat. De fine carminis criticis non adsentio, qui Lydiam iam ibi se ab amore denuo cessaturam esse significare putant. Contra censeo puellam per totam vitam poetam amare velle, quia eum ipsum, non eius qualitates, permagno aestimat.

Structura posita est in ordine temporis et in congruentia rerum, quae anaphora, id est repetitione verborum non contiguorum, augeri potest. Quod ad ordinem temporis pertinet, stropha prima ad tempus actum felicis amoris inter poetam et Lydiam spectat. Id temporibus imperfecto *(eram*, *dabat)* et perfecto *(vigui)* ostenditur. Hic Horatius de illo amore loquitur. Stropha secunda Lydia eius verba excipit. Ea quoque ad amorem felicem cum poeta actum respicit. Dicit enim *donec non alia magis | arsisti neque erat Lydia post Chloen, | Romana vigui clarior Ilia*. Vixit igitur celeberrima, donec poeta non aliam puellam amabat neque ipsa Chloae postponebatur. Perfecta *arsisti* et *vigui* aspectum punctualem, qui dicitur, vel aoristicum amoris acti in se spectati exprimunt. Lydia viguit, donec Horatius ea arsit, id est eam amavit. Contra imperfecto *erat* aspectus continuus amoris acti exprimitur, qui nunc in sua continuatione aspicitur[1]. Negatione *neque erat Lydia post Chloen* idem significatur atque affirmatione Lydia erat ante Chloen. Ergo *vigui* et *arsisti* et *erat* ad idem tempus pertinent, sed aspectus diversi sunt. Structura secundae strophae ad primam revocat, sed etiam ab ea differt. Enuntiata quidem principalia sibi respondent repetitione verbi *vigui*, sed in enuntiatis secundariis, quae utraque a *donec* incipiunt, habemus unam tantum negationem, *nec quisquam ... dabat*, quam affirmatio *donec gratus eram* praecedit. In secunda autem stropha duae negationes usurpantur, *non ... arsisti* et *neque erat*. Accedit, quod in prima stropha duo imperfecta, *eram* et *dabat*, leguntur, sed in secunda unum perfectum et unum solum imperfectum, *arsisti* et *erat*. Ita fit, ut in prima stropha aspectus continuus pristini amoris plus valeat quam in secunda.

1 Ad vocabula grammatica cf. A. Springhetti, *Lexicon linguisticae et philologiae* (Romae 1962) 291 et 533.

Stropha autem tertia et quarta ad praesentem pertinent, tertia ad poetae amorem erga Chloen *(me ... Chloe regit)*, quarta ad Lydiae amorem erga puerum *(me torret ... Calais)*. Stropha quinta et sexta ad futurum spectant. Sed iam ultimis versibus tertiae et quartae strophae futurum *parcent* legitur. Post futurum autem praesentibus *redit Venus ... excutitur Chloe ... patet ianua* continetur. Stropha sexta vis futuri arte coniungitur cum optativis *amem* et *obeam*[2]. Praesens hic pro futuro intellegitur et hoc modo in dialogis sermonis communis usurpatur. Ergo prisca Venus a poeta fortasse ventura esse dicitur: *quid si* ea *redit*? Sic quaerens se reditum deae optare significat.

Ita, qui legit vel audit, in amore poetae erga Lydiam a tempore felici, quod inter eos erat, per alios amores externos ad antiquum amorem restitutum ducitur.

Accedit ad structuram efficiendam congruentia rerum, sine anaphora aut anaphora aucta. Ita initio strophae primae et secundae coniunctio *donec* iteratur. Alia anaphora est *nec* in prima et *neque* in secunda stropha. Ultimis harum stropharum versibus verbum *vigui* repetitur, sed notione felicitatis in *Persarum ... rege beatior* (v. 4) et in *Romana clarior Ilia* (v. 8) solum congruentia rerum exprimitur. Idem accidit initio stropharum tertiae et quartae, ubi in ordine chiasmi enuntiata primum *Chloe regit*, deinde *torret ... Calais* collocata sunt. Praecedit autem ea, ut strophae disiungantur et simul coniungantur, initio positum *me*. Alia anaphora paenultimis versibus adhibetur, ubi primum *pro qua non metuam mori* et deinde *pro quo bis patiar mori* leguntur. Verba autem (*metuam* et *patiar*) hic variantur, non repetuntur. Ultimis versibus similiter fit. Ibi bis protasis invenitur: *si parcent animae fata superstiti* et *si parcent puero fata superstiti*. *animae* et *puero* differunt, cetera repetuntur. Duplex igitur protasis cum anaphora usurpatur *(si ... si)*. Quinta stropha Horatius forma interrogativa usus *(quid si prisca redit Venus ...?)* non dicit antiquum amorem certe restitutum iri, sed caute Lydiae proponit, ut ad se revertatur[3]. Sexta autem stropha syntaxis tota mutatur[4]. Lydia optativo utitur, ut desiderium ad poetam redeundi aperte exprimat *(tecum vivere amem, tecum obeam lubens)*. Hic congruentia rerum cum repetitione verborum *(tecum ... tecum)* efficaciter coniungitur. *tecum* repetens Lydia confitetur, quam arte amore cum poeta denuo convivere velit. Anaphorae *tecum ... tecum* adiungitur parallelismus verborum *amem ... obeam*, sed is non perfectus est, quia ante *obeam* desideratur infinitum, cum ante *amem* infinitum *vivere* usurpetur. Propterea *obeam* modum dicendi contractum esse existimamus pro obire amem. Contractione spatium datur participii *lubens* ver-

2 De argumento carminis cf. commentationem meam «Quo modo animus classicus, qui dicitur, Horatii carminibus amatoriis manifestetur, quaeritur», *Forum Classicum* 46 (2003) 147–152.

3 Cf. Porphyrionem, qui notat *Hic iam tentare incipit Lydiam, an redire secum in gratiam velit.*

4 K.H. Niemann, «Carmen III 9 als Auftakt der Horaz-Lektüre», Der altsprachliche Unterricht 45,2 (2002) 41–42, primis stropharum paribus congruentiam formalem, contra ultimo pari congruentiam rerum praevalere bene notat.

sui inserendi[5]. Ita gravius dicitur. Lydia enim non solum pro poeta mori parata, sed etiam pro eo libenter moritura est.

Si nunc usum anaphorae breviter comprehendimus, videmus bis anaphoram eorundem verborum ordine parallelo iterari. Ita in prima et secunda strophа *donec, nec* (vel *neque*), *vigui,* in tertia autem et quarta verba *me, pro qua* (vel *quo*), *mori, si parcent, fata superstiti* repetuntur.

Litterarum ope parallelismus clarius manifestatur. Inspiciatur adumbratio haec:

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| I | a | donec ... | III | d | me ... |
| | b | nec ... | | e | pro qua ... mori |
| | c | ... vigui ... | | f | si parcent ... fata superstiti |
| II | a | donec ... | IV | d | me ... |
| | b | ... neque ... | | e | pro quo ... mori |
| | c | ... vigui ... | | f | si parcent ... fata superstiti |

Quattuor strophae in duas partes divisae sunt. In prima parte anaphorae e singulis verbis constant (*donec, nec* vel *neque, vigui*). Ultima anaphora *(vigui)* ante caesuram asclepiadei minoris posita est. In altera parte secunda et tertia anaphora contra normam post intervallum usque ad finem versus continuantur. Tertia anaphora *(fata superstiti)* post caesuram pluribus verbis finitur. Poeta igitur unam et alteram partem clare structura diversa anaphorarum distinguit. Hoc quoque modo tempora tractata, actum et praesens, inter se perspicue differunt.

Recte N.E. Collinge in libro, qui *The Structure of the Odes of Horace* inscribitur (Oxoniae 1961) 58–59, affirmat congruentiam cogitationum strophis distinctam congruentia verborum illustrari et ita structuram carminis facilius intellegi posse. Etiam autem distinguit variationem ad animum pertinentem a variatione tantum ad artem stili spectante. Alteram se eo ostendere, quod duabus strophis extremis Lydia a poeta dicta non iam resumat, alteram mutatione verborum, quam ultimo versu perficiat. Sed non bene comprehenditur, qua re altera ab altera differat. Potius variationem ad animum pertinentem stili quoque variatione exprimi dicendum est. Etiam versu sexto decimo variatio *puero* pro *animae* (v. 12) non tantum ad stilum refertur. Amasius enim Calais non idoneus erat, qui voce feminea *animae* appellaretur.

Usus anaphorae *tecum* repetito finitur. Anaphora *tecum* norma observatur, qua fit, ut anaphora in initio membrorum vel periodorum se sequentium ponatur. Contra normam in strophis prima, secunda, tertia, quarta eaedem anaphorae repetuntur, sed aliis anaphoris separantur. Exempli gratia anaphora *donec* in primo et quinto versu anaphora *nec* in secundo et sexto disiungitur. Ita anaphorae se inserunt una alteri et structuram carminis firmam solidamque reddunt.

5 Cf. ad rem T.S. Johnson, «The Classical Journal» 99 (2004) 131.

Tertia res, quae in structura creanda vim habet, est, quod Lydia ab Horatio dicta clare et valde superat[6]. Ita pro *Persarum vigui rege beatior* affirmans *Romana vigui clarior Ilia* ea declarat sibi antea multo maiorem dignitatem attributam esse, quam Horatius sibi attribuisset. Deinde poeta exclamat (v. 11) *pro qua* (Chloa) *non metuam mori*. Lydia id auget adverbio *bis* in enuntiato *pro quo* (Calai) *bis patiar mori* per ὑπερβολήν posito. Porphyrio enim notat: *Quam carum* (Lydia) *habeat Calain per* ὑπερβολήν *expressit bis se paratam mori pro illo dicens*. Accedit, quod verba in enuntiato *me torret ... Calais* (vv. 13–14) multo vehementiora sunt quam ea, quibus Horatius utitur verbis *me Chloe regit* (v. 9). Etiam *bis patiar mori* fortius est quam litotes *non metuam* a poeta adhibita pro promptus ero ad moriendum[7]. Postremo poeta tantum cogitat tecte hunc optans de reditu priscae Veneris (v. 17). Lydia autem cupit redire exclamans (v. 24) *tecum vivere amem, tecum obeam lubens*. Ea igitur forti gradatione utitur, quae cogitationem Horatii vehementi voluntate amandi superat.

In fine non obliviscendum est animadvertere, ut iam Porphyrio vidit, *vices inter eos* (poetam et Lydiam) *esse dicendi ac respondendi quaternis versibus*, id est sex strophis in tria paria divisis. Hic stropharum ordo fundamentum est structurae formalis totius carminis, quam cum congruentia rerum et verborum tum anaphora et gradatione integratam esse supra exposuimus. Ita anaphora *donec* primum par stropharum distinguit, secundum repetitio *me ... me* initio et *si ... si* in fine; tertium autem par diversitas formae separat. Nam periodus condicionalis *quid si ...* in quinta stropha opponitur periodo concessivae in ultima *(quamquam ... est ... tecum obeam)*. *si* bis posito stropha quarta a tertia dividitur. Eadem duplicatio stropha quinta redit, sed solum unam stropham, non duas, ut antea, in duas partes describit. Ultimum stropharum par non tantum re, sed etiam forma diversa a praecedentibus clare differt. Repetitio *tecum ... tecum* non iam strophas vel paria stropharum, sed ultimum tantum versum in duo hemistichia ordinat. Ergo videmus anaphorae examinatae munus carmen in partes redigendi magis magisque a paribus stropharum et strophis usque ad versum decrescere.

Non congruentia verborum et syntaxis, sed congruentia rerum et gradatione ultima stropha primam revocat, qua poeta felicis amoris una cum Lydia acti reminiscitur. Etiam in ultima stropha Lydia de felici amore, non autem acto, sed futuro loquitur. Amor futurus ab ea optatus amorem actum longe superat, quia eius voluntate diuturnus erit et morte sola finietur. Contra amor actus non pertinet nisi ad certum spatium temporis iam praeteritum, novo amore finitum.

6 Cf. F.G. Doering, *Horatii Flacci opera omnia, editio quarta, tomus primus* (Lipsiae 1829) 209. Ibi legimus: «Horatius ... iis, quae respondet Lydia, se superari passus est.» Bene E. Römisch, *Zwei Horazoden. Interpretation von c. 3,9 und 1,10 für den Unterricht* (Heidelbergae 1979) 13 et 19, anaphora carmen certamen quoddam amantium alternis vicibus loquentium esse ostendi explicat.

7 Cf. E. Castorina, *La poesia d'Orazio* (Romae 1965) 201. Vide etiam, ut Springhetti, op.cit., 362, figuram litotetos definiat scribens «Figura est, qua negando contrarium plus significamus quam dicimus.»

## Appendix de fine carminis

H.P. Syndiki iudicio (*Die Lyrik des Horaz* II (Darmstadii 2001)) 109 non oportet amori a Lydia ultimo versu promisso nimium tribuere. Si amantes, contendit, denuo se coniunxerint, eo poetae sententia amorem per totam vitam initium capere non necesse esse, sed felicitatem tantum in praesentia. Critico adsentire non possum. Lydia enim ibi asseverat se libenter cum Horatio non solum vivere, sed etiam mortem obire velle. Usque ad mortem, per totam vitam, ea poetam amare cupit.

Puellae propositum diuturni amoris ex animi sententia manare eo perspicitur, quod levitatis et iracundiae poetae haud nescia eum semper amare vult. In eadem autem sententia ac Syndikus est R.O.A.M. Lyne (*The Latin Love Poets* (Oxoniae 1980) 226), sed non magis probandus. Nullo enim modo Lydiam in ultimo versu iam ad finem amoris erga poetam secum cogitare indicatur. Coniunctivi *amem* et *obeam* sunt optativi, non potentiales. Iam E. Burck («Drei Liebesgedichte des Horaz», *Gymnasium* 67 (1960) 161), sed causam non afferens, carmine III 9 de facilibus vicissitudinibus discidii et reconciliationis amantium agi contenderat. Etiam M. Putnam (*Essays on Latin Lyric, Elegy and Epic* (Princeton 1982) 116–117) opinatus est poetam per futurum quoque tempus fidem et infidelitatem amantium invicem sese excepturas putare, paulum igitur confisum in amorem mansurum. Horatium id discrepantia inter concordiam amatoriam et perturbationem sermonis significare. Sed ita diversitas formae, qua sexta a quinta stropha separatur, ut iam diximus, perperam in discordiam mutatur. Formae diversitate communis poetae et Lydiae voluntas se denuo ac perpetuo coniungendi non frangitur, sed tantum alio modo, magno enim impetu et animi ardore, manifestatur.

Rectius de re iudicant Römisch, op.cit. 27, et S. Commager (*The Odes of Horace* (New Haven et Londonii 1962) 57). Römisch anaphora *tecum* amantes denuo, ut tempore acto, aeque cogitare et sentire illustrari explicat. Commager hoc loco amorem amantium ad tempus futurum reconciliari intellexit. Niemann, art.cit. 40, Lydiam confiteri se stabiliter cum poeta convivere velle declarat. In eadem sententia Johnson esse videtur. Opinatur enim Lydiam desiderio eius captam in promptu esse pro poeta mori. Quod Johnson, art.cit., veri simile esse Horatium in praesens tantum tempus Lydiam in domum suam admittere voluisse putat, id autem nullo indicio probatur atque ad carmen melius intelligendum nihil affert. Non est enim nisi interpretis coniectura, quae ad carmen ipsum minime spectat. Immo vero poeta se ita cogitavisse ipse confutat (vv. 17–18). Optare vero significat, ut *prisca ... Venus | diductos*, Lydiam poetamque, *iugo cogat aeneo*, id est diuturno. Ut postea vidi, iam interpretes antiqui ita hunc locum intellexerunt. Nam Pseudo-Acro post *aeneo* scribit: *Forti, inexpugnabili ad perpetuitatem redeuntis gratiae iugum aeneum posuit. aes enim non sicut ferrum rubigine consumitur.* Porphyrio ita explicat verba *Quid si prisca redit Venus: Hic iam tentare*, id est sibi conciliare conari, *incipit Lydiam, an redire secum in*

*gratiam velit ... Si rursus, inquit, nos Venus iungit ac firmat perpetua coniunctione, propter hoc enim iugum aeneum dicit. aeris namque materia non sicut ferrum rubigine comsumitur.* Nostra aetate optime R. Heinze in *Commentario Odarum* (Berolini 1958) ad finem carminis declarat: «Ultimo versu amor Lydiae victor erumpit, quia sincero desiderio cupit, ut una cum poeta in vita et in morte coniuncta sit.»

Ceteris carminibus, quae etiam de Lydia sunt, opinio mea confirmatur. Ibi enim cognoscimus, quam vehementer Horatius Lydiam amaverit. In nostro carmine tandem ea poetae amori plene respondet, postquam alios cupiditate perdens eius animum macerabat. Promissum Lydiae nunc audiens Horatius in spem venire potest, ut in fine carminis I 13 significat, amorem re vera se et puellam non soluturum esse *suprema citius die*. Cf. de Lydia etiam carmina I 8 et I 25. Ibi quoque violentia eius libidinis quasi oculis subicitur.

In nostro autem carmine Lydia poetam non tantum cupit, sed amat, ut est, non, ut eum esse vult. Ea enim concedit Calaim pulcherrimum esse, poetam autem levem et iracundum. Tamen eum amat. Eius vitia et Calaidis pulchritudinem neglegit. Non enim singulae qualitates in amore valent, sed id, quod homo per se ipsum est, quo ab omnibus aliis differt. Non summa est qualitatum suarum amanti homo amatus.

Korrespondenz:
Godo Lieberg
Cranachstrasse 14a
D-44795 Bochum